

Q. D. B. V.  
**TEMPLI D. MI-  
CHAELIS FA-  
CIES INTERIOR,**

quoad V. Ejus Priores sic dictas

**C A P E L L A S,**

lustranda sistitur,

edque ipsò ad

**ACTUM ORATORIO - VALEDICTORIUM,**

*IN ILLUSTRICURIANO, II. Orationibus,*

ad D. XII. Aprilis, à Sacris Matutinis,

habendum

**Urbis Proceres**

invitantur

à

**M. JO. CHRISTOPHORO LAYRIZ,**

Gymn. Patrii Rectore.

---

Literis Mintzelianis.

**C**um in Templum veneris, adora. Sic Samius ille Philosophus perfectissimum sapientiae opus, *PYTHAGORAS*, elegantissimi sententia, quarum singula frustra gemmas habet *Lipsius*, suos olim edocuisse fertur Discipulos. Nos primum nunc *CURIAE* Urbis Templum, *MICHAELI* *ἀριστο* inscriptum, post varias ingressuri ambages, & internam ejus, ut nupero Praescripto externam vidimus, faciem lustraturi, adoramus cum primis & religiosum veneramur animo, Sacrosanctam Trinitatem, quae splendendam hanc Aedem, Papisticis idolomanis perpurgatam, sui honoris gloriae, in Spiritu & veritate eam adorantibus, sanctam tantam voluit conservatam. Quam pietate nostra, votoque uberioris benedictionis defuncti, oculos in nitidissime concameratum detorqueamus opus, utque per partes in totius elegantiam commodius penetremus, *Novem* saltim istas, ut vulgo ex antiquo usu audiunt, *Capellas*, nunc excutimus.

Repetendum autem hic ex superioribus, p. 135. sq. has ipsas *Capellas* A. demum 1480, cum promovendo in majus Orientem versus Templo manus admovebant Majores, cepisse, ut *WIDEMANNUS* ad d. A. totidem verbis rectissime recenset.

*PRIMA* igitur, ad quam hodie per vetus Sacrarium patet aditus, & quae nunc subsellis Magistratus Oppidani aptata, à *Fraternitate Corporis Christi & S. Mariae Virginis*, quam & *Unser lieben Frauen Fronleichnam's Bruderschaft* absolute nominatam invenio, cui erat propria, procul dubio fuit excitata. Statuerant dictae Societatis Fratres A. 1511, Altare in hoc ipso loco, suisque sumptibus sacrificulum aiebant, qui quatuor in septimana diebus, Solis, Martis, Mercurii & Veneris Missas, primam SS. Trinitati, tres ultimas, Mariae Virgini faciebat, à quibus potioribus communiter etiam *Unser lieben Frauen Mess* fuit appellata. Praesidem Fraternitatis ipse Senatus agebat, *Vorsteher der Bruderschaft*/potestatem hinc ab *HEINRICO, Babenbergensi Episcopo*, A. 1490. 25. Aprilis consecutus, ut suo ex arbitrio sacrificulum hujus *Capellae*, ex Civium

Fi

Filiis, aut alio in eam rem idoneo legeret, cui peculiaria cedebant beneficia. Pulsò autem cum papatu & hujus Missæ cultu Idololatricò, A. 1557. Altare istud sublaturum, & in Ecclesiam Xenodochiatricam translaturum, ubi hodiernum piis inservit usibus, hujus autem loco Subsellia Magistratui Urbico statuta, ut adscriptus supra fores Annus, ipsèqve *W IDEMANNUS* indices sunt, cum antea sedibus illius ambo, qui nunc Nobiles Diocesanos capit, vacaret. A. 1677, qui numerus ipsi januæ adscriptus, cum Antepagmenta illa manu *Tobie Wolfarti*, pictoris & sculptoris nostratis, jam olim essent adsculpta, pictura fuit superaddita, à *Nicolao Heuslero*. Et novum insuper anno superiori per duas ex utroque Capellæ latere suspensas renovatas Tabulas, quarum una sublationem Christi de Cruce, altera illationem ejus in Sepulchrum, opere sculptili exhibet, accessit ornamentum, quas reliqua ex Papatu judicaverim spolia, in hunc Corpori Christi dicatum locum, *de yua* loco translata, ut adeò ob antiquitatem meruerint, quæ *Kolbiana* manus novis coloribus distingueret.

*SECUNDAE* nunc nos intromittimus, à *Fraternitate Pannificum & Fullonum, der Knappen-Brüderschaft* dicatæ, & Missâ pariter olim solenni, quæ die *Knappen-Meß* audiebat. Hodie Pannificum sedibus computatur, supra quas novò, suisqve sumtibus excitato opere, Ambonem Familiæ suæ extruxit *Præ-Nobil. Dn. Superintendens, Josephus Friedericus à W ALDECK*, &c. id quod cum Anno innuunt verba, parmulae coronatæ inscripta: *Des Hoch-Edelgebornen Hauses von Waldeck Erb-Porkirchen/ erbauet von Superint. J. F. von W. 1680.* Annus 88 eleganti pictura, Insignibus quoque *Waldeckio-Pachelbelio - Bünaviensibus*, Conjugalis Amoris pignori-bus, fulgentiorem reddidit. Medium inter duas has Capellas occupat in pariete locum, Epitaphium *Augusti, Filioli Capitanei t. r.* à *W ALLENROD*, 1585 erectum, 16 avitis insignibus, & inscriptione ad veterum rhythmorum simplicitatem ornatum, quam adscriptis non est operæ pretium, qui pari festinatione Tabulam memoriae

moræ Jo. *TEGKII* Senatoris, qui ob. Vigil. Jacob. 1554. in angulum repositam, tranſimus.

*TERTIA* Capella, quæ *S. Catharine* nomen præ se fert, & *Dn. Erhardo AUERO*, sua debet auspicia, hodie Coriariorū sedilibus occupatur, quorum opificium nostrâ multum florebat olim Urbe. Non nisi duabus conspicuam se reddit Epitaphiis, quorum alterum memoriæ *Wolfgangi Christophori de WALLENROD*, pueruli quinquemestris, qui A. 1520. d. 10. Octob. obiit, sacrum, planctus refert Parentum, ob amissum unicum tunc temporis filiolum emissos. Medio hoc olim parieti secundæ & tertiæ Capellæ fuit affixum, postquam autem viva *B. WALTHERI*, Superintendentis Curiani meritissimi, effigies, artificiosissimo *Lohii* pictoris nostratis penicillo expressa, ibi reponi cepit, in Capellæ interiora retrocessit. Posterius Epitaphium parieti Meridiano appensum, *Wolfgangi LIMMERI*, qui 21 April. 1554. fati concessit, ut nomen, ita veterem & satis splendidum Curienſium nostrorum antiquorum simul in picturâ ejus exhibet habitum. Ara Ædiculæ imposita ætatem quidem inscriptione paululum recentiorem prædit, A. nempe 1574. sed corruptos, aut primorum ejus incunabulorum illos non esse numeros, iconismi arguant, in Papæas adhuc fabulas aniles proclives.

*QUARTAM* Capellam à *S. Wolgango* cognominatam, liberalitati primiceriæ olim Urbis Familiæ *ROTHIORUM* tribuunt, quæ collectis eam in rem alibi quoque eleemosynis, de Misfarum cultu ædiculæ prospexit. Hodie S. ut vulgò vocant, *Sepulchrum* in angulo Capellæ ejus repositum cernitur, quod aliqui è *Templo S. Sepulchri* olim Suburbano huc translatum credunt, sed vanâ, ut opinor, conjecturâ, cum in illud *Sepulchrum* lapidi solido incisam fuisse legatur, vid. sup. p. 77. hoc autem è ligno elegantissimè sit sculptum, & *Cassaris GEILSDORFII* sumtibus, isthoc in loco statutum, ne huic quoque *Templo* deessent, quæ passim in Pontificiorum Templis cernes, monumenta Christi sepulchralia

lis certe  
vltio

usibus superstitiosis, quæ ista scitent, olim & hoc nostrum fuit ad-  
 motum, dum ligneus Salvator, summâ cum devotione, à mulier-  
 culis & aliis osculis exceptus, die Parasceves in illud fuit reposi-  
 tus, ad quod aniculæ aliquot, ipsi quoque Scholares pauperculi,  
 suas exercebant vigilias, & integrum psalterium decantabant, usque  
 dum cum matutino Paschalis sole, alius Salvator resurgens popu-  
 lo exhiberetur, & ita funeralia hæc finirentur. Interim devotas  
 istas vigilias agentibus cibus & potus largiter afferebatur, ne in-  
 opiâ desererent, ex quo more *WIDEMANNUS* proverbium ac-  
 cersit: Niemand will des H. Grabs umsonst hüten. Quibus et-  
 iam ut obviam iretur, coorta Evangelii Luce, *Joannes GEILS-  
 DORF*, *Casparis* Filius, singulari zelo accensus, die Lunæ post Na-  
 civitatis Mariæ, 13 Septembris, A. 1529 non altare tantum *Wolfgangi*,  
 proximæ ad Sacrarium columnæ adpositum, removit, sed & Sepul-  
 cro Christi Idola eiecit, ne superstitioni præporro inservirent.  
 Extat tamen & in hac Capella peculiare Altare, cui numerus Annæ  
 1517 inscriptus, in quo, ut medio Papatûs ferventissimi, fabrefacto,  
 mireris, quatuor Evangelistas, Alis appictos, novo vestimenti ge-  
 nere ornatos, dum *JOANNES*, habitu Summi Pontificis, coronâ i-  
 tidem ejus Triplici, *MATTHÆUS* & *LUCAS* Stolâ Pallioque Epi-  
 scopali & mitra; *MARCUS* verò galerô & purpurâ exsplendent  
 Cardinalitiis. Vanam nugivendulorum fidem, quibus quis Chri-  
 sti illud: *Vos autem non sic*, merito ingereret! Ut autem clariùs appa-  
 reat, quàm densissimis tenebris fides majorum nostrorum tum fu-  
 erit obvoluta, Picturam quandam, proximè in latere septentriona-  
 li aræ adhærentem, placet in testimonium advocare, quâ Deus, sub  
 figura irati Jovis, mittentis sua fulmina, cum quatuor Angelis, pa-  
 ria divinæ iræ munera obeuntibus, repræsentatur. Infra videris  
 varios homines, vario telorum ictu prostratos, nec quisquam à  
 tanta immunis plagâ est, nisi quos *Maria* parentissimo & latè fluente  
 obtegit pallio, ad quam etiam *S. Bernhardus* & *S. Sebastianus* ex una,  
*S. Katharina* & nescio quæ, ex alterâ territos remittunt parte, quæ

impia illa Theologia Mariana, Christophori de VEGA Ποσειδάωνος μακάρο  
 DEus in Mariâ de se vire dediscit; Judas, si sub Clientelâ Mariæ fuisset, sal-  
 vus evasisset; Maria ubere utroque (palliô utrinque) interposito, tan-  
 quam aggere fortissimô, Judicis ira coërcetur, vivis exprimunt coloribus.

Sed QUINTAM in Capellam nunc nos recipimus, quæ & no-  
 mine, & alio hodiernum vacat ornatu, cesit tamen dormitorio Il-  
 lustrissimæ Sororum Bigæ, Comitum de SCHLICK, cujus tumbæ se-  
 pulchrales, propter concameratos in terra fornices, paululum pro-  
 minentiores, sequentes exhibent inscriptiones: Prior vers' meridië:  
 Alhie liegt und ruht das wohlgeborne Fräulein/ Fräulein Anna  
 Catharina Schlickin/ Gräfin zu Passaun/ des Wohlgebohrnen  
 und Edlen Grafen und Herrn/ Hn. Johann Albin Schlicken/  
 Grafen zu Passaun/ Herr zu Weiß-Kirchen/ auf Zuppam und  
 Falkenau/ Herz-liebes Fräulein Tochter/ welche nach Gottes  
 Willen allhier zum Hof/ Christlich/ sanfft und selig von dieser Welt  
 abgeschieden ist/ den 29 Jan. Anno 1622. ætatis 19 Jahr 46 W.  
 Altera septentrionalior: Beneben ihrem geliebten Fräulein  
 Schwester liegt und ruhet allhier/ das auch Wohlgeborne Fräu-  
 lein Frl. Sibylla Schlickin/ Gräfin zu Passaun/ welches der liebe  
 Gott bald nach ihrer Frl. Schwester/ durch den zeitlichen Tod  
 von dieser Welt hat abgefodert/ den 2. Febr. Anno 1622. als Sie alt  
 gewesen 5 Jahr 24 Wochen.

Quo fato Illustrissimæ hæ Comitissæ in Urbem nostram sint de-  
 latae, quôve mortis genere intra tam breve tempus obierint, equi-  
 dem non invenio, facilis tamen est conjectura, Bohemicos motus  
 & diram admodum Lutheranorum è regno isto expulsionem, Cu-  
 riam nostram illis præbuisse, tanquam jam olim admodum nobi-  
 le Exilium propter Christum receptaculum, cum primis cum hæ ex  
 illius fuerint Familiâ, qui tanquam fax & tuba Bohemorum mo-  
 tûs, è Directoribus & aliis, numero XXVII, ferali judicio, in publi-  
 co pegmate <sup>11</sup>/<sub>11</sub> Junii, Pragæ sublatis, primam Tragoediæ Scenam  
 aperuit, Illustris, nempe & multum Eruditissimus Comes Joachim-

An-

*Andreas SCHLICK Summus Dicasterii Bohemici Provincialis Judex, Consiliarius Intimus, Director & Praefectus Provincialis in Lusatiâ Superiori &c. capite dextrâqve abscissis, Turriqve Pontis affixis.*

*SEXTA* nos nunc Capella vocaret; verum cum pagina huic reliquisqve capiendis minimè sufficiat, in proximam ceteras reservamus occasionem, illaqve nunc expeditus, quibus expediendis hæc Tabula præstituta. Scilicet cum Musis nostris, è suo, Parentumqve honoratissimorum, votò, ultimum vale dicere, & in Academiam Lipsiensem se conferre, constituerint, qui castra illarum diuturnâ satis hæctenus secuti sunt militiâ, juvenes duo, à naturâ ad laudis sonatum formati, æque sedulâ Parentum curâ ad omnem honestatis sedulitatisq; cultum, omni amandati studiò, ut illò, qui Legibus nostris receptus, est, saluberrimo more, id facerent, publicè perorando, valedicendoqve profectuum suorum nobis relinquent specimen; & selectò sibi, è tempore præsentis, argumentò, *de Prærogativa Antiquitatis inter Arma & Literas, CONSULTATIONE* quadam contendent, & Prior quidem

*JO. FRIEDERICUS BREBISIUS, Curienfis, Viri Nobilissimi ac Excellentissimi, Dn. JO. CHRISTIANI BREBISII, Medicinæ Licentiatifamigeratissimi, Urbis nostræ Physici Ordinarii, Gymnasiiqve Scholarchæ, utrinqve dexterrimi, Fautoris nostri multis nominibus colendissimi, Filius natus Sextus, superioriqve Auditorio per binos jam annos Dux & Promachus datus, pro Armorum contendet prærogativâ; Alter*


*GEORG. LUDOVICUS ASTMANNUS, Unter-Leinleideræ Francus Viri Per-Reverendi ac Cl. Dn. FRIEDERICI ASTMANNI, Pastoris Gattendorfsensis, τῆ μακαρίτη Filii, qui quòd B. Parens maturè fati concederet, cum matre viduâ à primis juventutis annis Curiam nostram inhabitavit, & nunc discessurus pro Literarum depugnabit gloriâ, in simulq; pro exhibitis beneficiis, DEO, SERENISSIMO PATRIÆ PATRI, qui utrisq; Trivialia Stipendia elargiendo, largissimum Principalis Clementiæ in iis edidit specimen, ut & Pa-*

tro-



honis, gratias, Carminc Elegiaco Latino, suo & Condilcesfuri no-  
mine, devotas aget atqve decentes.

Nos, qvò animò femper in illos extitimus, novit Deus, Salutis  
eorum cupidiffimò, ita cum neqve nunc, neqve unqvam deponc-  
mus, qvin potiùs omnia faufta futuris illorum conatibus largiffi-  
mè apprecantes, de meliori etiam omnibus ac fingulis eos com-  
mendamus, fpe nixi, ita fe monitis noftris probaturos, ne aut Com-  
mendationis nos pudeat fufceptæ, aut alios collatæ in eos benevo-  
lontia. Interea ut & ultimò apud nos, ad proximum Veneris diem,  
post Sacra matutina, dicturis Splendidioris Auditorii venemur  
præfentiam, *Sereniffimum Principem ac Dominum, DN. GEORGIUM  
ALBERTUM, Marchionem Brandenburgicum, &c &c. Dominum no-  
ftrum Clementiffimum; SERENISSIMI QUOQUE PRINCIPIS  
AC PATRIÆ PATRIS CLEMENTISSIMI Confiliorum Præfidem  
Superiorem Eminentiffimum, Confiliarium Intimum Spectabiliffimum, ac Di-  
ftrictus Curiani Exarchum Provinciale Gravisiffimum, Illuftriffimum Co-  
mitem ac Dominum, DN. JO. ALBERTUM, S. R. I. Comitem de Ronov &  
Bieberftein, Dominum in Oppurg, Knau, Grobiz & Grünan, Dominum no-  
ftrum multum Gratiofiffimum; nec non Illuftriffimum Comitem ac  
Dominum DN. JO. ERNESTUM, S. R. I. Comitem de & in Tertenpach,  
Lib. Baronem de Gannowiz, Dominum in Gailsdorff, Trübel & Birk &c. Do-  
minum noftrum pariter gratiofiffimum; Ut & Virum Maxime Re-  
verendum ac Præ Nobiliffimum, Dominum Jofephum Friedericum à W AL-  
DECK, in Culmiz & Dabra-Stæcken, hujus ac Vicinarum Superintendentem  
Meritiffimum, Gymnafii Ephorum Vigilantiffimum, cum Reverendo Pluri-  
mum Ministerio, Nobiliff. Excellentiff. Urbis Phificum Ordinarium, Adjun-  
ctum & Medicos, Ampliffimos, Confultiff. Dnn. Officiales, Prudentiffimum Spe-  
tatiffimumque Urbis Senacum, Gymnafii Patronum & Scholarchas, Conjun-  
ctiffimos Dnn. Collegas; Studiososque Humaniffimos, & quosvis Literarum  
Faucos, quàm devotiffimè, humaniffimè adim' rogantes, ut H. L.  
Q. C. nobis clementer, gratiofè ac amanter adefe velint, quod pre-  
cibus, ftudiis & officiis demerendum nobis beneficium fanctiffimè  
in nos recipimus. P. P. 3. Iduum April. A. O. R. clb lbc LXXXIX.*



TE  
C

ACTUM

M. J

D. MI.

FA.

R,

S,

DICTIONARIUM,

ationibus,

is,

LAYRIZ,

